

Letter 562: 5 August 1535, Geneva, Guillaume Farel and Pierre Viret to the Evangelicals of German Switzerland and Germany

Printed in Herminjard 3:327–32, no. 521.

Piis fratribus Christum pure profitentibus Verbi ministris, et aliis pietatis studiosis.

S. Gratia et pax! Audi[i]mus non sine animi gravissimo cruciatu afflictiones, bonorum direptiones, exilia, carceres, exquisita tormenta et inaudita supplicia quibus sparsim per Gallias pii fratres opprimebantur supra vires dilaniabanturque. Sed nihil est quod nobis plus attulerit moeroris, quam cruenta illa in fratres qui incolunt eam Galliae partem quam vulgus Provinciam appellat, et saeva persecutio, quam sine lachrymis nec audire, nec commemorare possumus.

Populus est ingens, sed simplicissimus et verae ac Christianae religionis pertinax imitator, quamlibet hactenus multis nominibus infamatus, quod puriorem Christianismum profiteri maluerit, quam se pontificiis execrandis sacris et receptae consuetudini atque superstitioni adstringere. Semper patuit impiorum iniuriis et pontificiae tyrannidi, adeo ut saepe factus sit veritatis hostibus praeda, et variis fuerit suppliciis affectus. Sed quamvis conatus sit Antichristus modis omnibus eorum labefactare fidem, coegeritque nonnunquam simulare multa, non potuit tamen efficere quin etiamnum appareant in simplici populo antiquae religionis vestigia, reuceatque illa Christi simplicitas, modestia et a Christo toties inculcata charitas.

Waldenses vulgo vocantur, quorum famam ad aures vestras pervenisse non dubitamus. Agriculturae semper fuerunt studiosissimi, labore manuum et simplicissimis artibus sibi ac familiae victim parantes, sed tam diuturnis variisque pressi afflictionibus, ut vix respirare queant. Remiserat se aliquamdiu furor hostilis, cessarataque persequutio, priusquam orbi innotesceret nomen Lutheri. Verum simulatque animadvertisit Antichristus, se aliunde impeti et undique emergere evangelii professores, qui suo regno ruinam minarentur, ita recruduit pugna, ut simul cum piis reliquis quos Lutherani titulo famosos haberri volunt, conatus sit evolvere et penitus delere bonos illos viros, in quos velut totius belli pondus decumbit. Nam postquam non licet sanguinis sitientissimo hosti alios omnes tollere de medio, illic, quasi lupus rapacissimus in medio innoxii gregis, rabiem suam exsaturat, suaee permittit omnia libidini, et in Christi oviculas suam exercet lanienam.

Iam annis aliquot ita expositi fuerunt impiorum libidini. ut quo se verterent nullus pateret locus. Nam cum ditiores viderent nonnullos, abunde oblatum est pontificiae rapacitati et inexplebili avaritiae alimentum. Quamdiu itaque bonis viris fuit quod iniicerent in latrantia rabidorum canum ora, paulo clementius cum illis actum est. Nunc autem. postquam insatiabiles tyraanni rapinis pauperum domum rediissent onusti, intelligerentque nihil esse pene reliqui, non solum in facultates, sed in multa hominum milia ita desaevire coeperunt, ui non iam aliquo iustitia praetextu, sed armata manu, collecta hominum sceleratorum turba, irruerint in pagos aliquot, occisuri quotquot forte deprehendissent. Domos aliquot incenderunt, reliqua omnia ita depraedati sunt, ut nihil reliqui fecerint, et si quae forte occurrebat pavida mulier, vim inferre parabant. Optime viris consultum est, quod cesserint venienti furori. Tacemus calumnias quibus hactenus obruti sunt, et tormenta quibus cogebant invitatos confiteri quod nunquam cogitatum fuerat, adeo ut non defuerint fidei inquisitores qui, crura piorum torrentes, minati sint extremum exitium, nisi Christum negarent natum ex virgine, ut eadem opera suaee servirent avaritiae, et maiore gravarent invidia et infamia apud imperitam multitudinem; atque ad hunc modum proximis annis examinati sunt.

Nunc vero gravius adhuc premuntur, cum omnibus a tergo impendens hostis crudelissimus quaeque minetur, neque iam audent in suis habitare tuguriolis, et frumenta quae

sufficient alendae familiae domum convehere: sed per avia loca cum uxoribus et liberis vagantur, aut in abditissimis speluncis delitescunt, tutius cum feris vitam agentes, quam cum huiusmodi hominibus. Porro calamitatem magis auget rerum omnium penuria, et quod hostis metat quod ipsi seminarunt. Quocunque se vertant, in tam arctas redacti sunt angustias, ut nusquam pateat rima qua elabantur; nec haerere loco possunt, neque tuto egredi, propter hostium ubique paratas insidias. Plebecula est consilii et auxili iuropis, nisi quod frequentibus nuntiis, si forte hostiles manus queant evadere, nobis suam calamitatem denunciat, efflagitans, si qua ratione liceat miseris et varie periclitantibus succurrere, saltem precibus et consilio.

Studemus pro viribus adesse, et cum aliud non suppetat quo iuvare possimus, precibus commendamus ecclesiae, et afflictos, pro ratione nobis commissi talenti, consolari conamur. Aliud non possumus, quam ut fratribus et Christi membris condolere, atque eo magis quo minus subvenire datum est. Nihil non tentavimus ut viam inveniremus, qua et gloriam Dei proveheremus, simulque fratribus consuleretur. Sed consilii et auxilii tam sumus expertes, ut nec nobis nec illis possimus prospicere, nisi quod nobis visum est consultius, si pius hic frater, qui exacte novit omnia et pars maxima fuit, istuc ad vos mitteretur, a quo latius audietis omnia quae illis contigerunt, simulque consuletis quid vobis facto opus esse videatur. Nam pure Christum ille annunciat, et tragoeiarum quas impii excitarunt non est inscius, utpote qui toties mortis periculis fuerit vicinus, nisi Dominus suae adhuc ecclesiae necessarium salvum esse voluisse. Quod vidit et audivit ipse bona fide narrabit, et quid habeamus consilii; nam scripto vix possemus exprimere incredibilem tyrannidem, qua assidue gravatur populus ille.

Praestitimus quod potuimus, speramusque futurum, ut illis vestram opem non denegetis, et si quid re aut consilio iuvare liceat, non dubitamus quin vos Christianos testemini. Communis est omnium causa qui eadem fide, eodem et spiritu et charitatis vinculo, uni Christo sumus copulati. Dispicate quid magis expediat, quid faciat in gloriam Christi et fratrum utilitatem. Populus extenuatus est, et gravissima pauperie pressus. Quietem non potest a tyrannis impetrare, et, ut alio se conferat, nusquam per medios hostes tutus patet accessus; nam uxoribus et liberis onustus, pecunia vero exoneratus, non habet quo configiat.

In rebus tamen deploratis oportet etiam extrema experiri, et, Abrahamum imitantes, in spem sperare contra spem. Operae pretium itaque nobis videbatur, si apud pium quempiam principem locus aliquis incultus illi genti, rei rusticae peritissimae, traderetur colendus; nam labori assuevit, et eadem opera calamitoso populo succurreretur, et aliquid inde utilitatis etiam rediret ad proximos. Alioqui, si se non remittat effrenata adversiorom audacia et rabies, ut tuto in suis aedibus degere possint et suis uti rebus, nihil aliud superest nisi ut se viae committant, et quocunque dirigat Dominus, illic figant pedem; quandoquidem semel mori satius est, quam aut in tam dura servitute ad ydolatriam et superstitionem adigi, aut tam variis el assiduis suppliciis excarnificari ac dilaniari. Nullum non movit lapidem hostis ad profligandam pietatem; nunc nulla spes est, ad vasa conclamatum est, nisi repente Dominus, praeter omnium expectationem, suos tyrranide liberet eripiatque ex inimicorum fauibus.

Proinde, vos omnes quotquot estis pietatis candidati, et purioris Christianismi professores, per Christum obtestamur, ut fratrum vestrorum sitis memores, illorum personam induatis, et quomodocunque dabitur, sive consilio, sive re, saltem precibus fratres iuvetis cum immanissimo hoste conflictantes. Pius hic frater hac gratia vos adit, quem, obsecramus, ut fidum Verbi ministrum et variis exploratum afflictionibus excipite, et quod vos consultius fore iudicaveritis, pro vestro candore exponere non gravemini. Valete bene. Genevae, 4 Augusti 1535.

Fratres vestri Guilhelmus Farellus et Petrus Viretus.

Verbis nemo posset assequi, fratres quam charissimi, quanta sit piorum calamitas: ideo propter Christum vos obtestor, quidquid vel per vos, vel per alios potestis, id efficite, ut piis consulatur.

Vester Farellus.